

† R. P. Dionysius Turner.

*(Prov. Hibern.).*

† R. P. Dionysius Turner.

*(Prov. Hibern.).*

Die 8 mensis septembris a. 1926, festo Nativitatis Beatae Virginis sacro ad vitae aeternae coronam migravit sodalis hic fratribus, clero saeculari ac regulari, religiosarum congregationibus, fideli populo aequa carus ac deflendus. Vix enim quemquam inveneris, qui maiore studio et cum feliciore successu pro Dei gloria et animarum salute in patria sua suis temporibus laboraverit. Mortuus est in valetudinario Parvulae Societatis Mariae, quod non longe a Limerico distat. Ibi aegrotus ultimis hebdomadibus saepissime a sodalibus collegii nostri Limericensis visitatus est. Cum enim frater eius Gulielmus, episcopus Buffalensis, qui eius visendi causa ex America advenerat, ei dixisset sperare se fore, ut se in Americam reverso solitudinis taedio non afficeretur, multos enim, quos in urbe vicina amicos propinquosque haberet, eum invisurus esse, P. Turner respondit istorum nullum sibi esse desiderium, sed solum sperare se sodales nostros e vicino collegio cotidie affuturos esse, ut adhuc in communitate vivere sibi videretur. Nihil itaque deesse visum est, quo anima consolationem, corpus levamen perciperet, immo spes aliqua subesse visa est fore, ut paulatim convalesceret. Sed morbo ex improviso ingravescente mox apparuit mortem esse vicinam,



quam P. Turner excepta devotissime extrema unctione serenus exspectavit. Die sacro Nativitatis Beatae Virginis sodalibus nonnullis eum in visentibus nullum mortis iam imminentis indicium adesse visum est, sed vesperi, cum omnes discessissent, viribus subito deficientibus ipse mortem adesse sensit. Quod cum soror inserviens quaerenti ei ita esse confirmavisset, preces aliquas placidus murmurare visus est moxque in soporem incidit, quem mors tranquilla excepit. Postridie eius diei mane P. Kilbride, Rector collegii Limericensis, sacrum in valetudinario fecit, vesperi corpus ad ecclesiam S. Alphonsi transferendum curavit. Die 10 mensis septembbris episcopo Limericensi multisque e clero saeculari et regulari assistantibus officium dictum et missa sollemnis pro defuncto celebrata est. Quo facto corpus defuncti sodalis nostri ad cryptam ecclesiae sollemni funere deductum est, ubi cum magistris sociisque laborum ibidem sepultis quiescit.

P. Turner natus est in oppido Kilmallock die 26 mensis ianuarii a. 1874, familia tam antiquitate quam pietate conspicua, unde multi sacerdotes orti sunt. E fratribus unus primum in universitate litterarum catholica Washingtonensi philosophiam docuit, deinde dioecesis Buffalensis episcopus factus est. Alter in seminario dioecesis Neo-Eboracensis theologiae moralis cathedralm obtinet, tertius parochus est in urbe Mobilensi. Una saltem soror religiosa fuit. Ipse Dionysius exemplo fratrum accensus Dei servitio se addicere statuit absolutisque in collegio Societatis Iesu in Mungret studiis rogavit, ut in Congregationem SS. Redemptoris admitteretur. Tirocinio peracto in domo nostra Liverpolitana die festo S. Teresiae a. 1893 vota religiosa nuncupavit. In studentatu deinde tanto cum fructu in sacras disciplinas incubuit, ut ingenii acuminis, quod tum exhibuit, fama etiamnum ab aequalibus celebretur.

Sacerdos factus die 24 mensis septembbris a. 1899 vitam apostolicam anno proximo in Hibernia incepit, quam fere totam perlustravit non modo lingua anglica praedicans, sed etiam sermone antiquo hibernico, quem studiorum tempore didicerat, ut illorum Hibernorum saluti subvenire posset, quibus lingua anglica aut ignota aut saltem difficilior esset. Neque minus benignitate et affabilitate quam mentis acie orationumque eloquentia praestitit, cum praesertim infirmos ac pauperes multos non consilio solum, sed etiam opibus adiuvare delectaretur. Clero saeculari tam acceptus erat, ut in dioecesibus, in quibus collegiis nostris praefuit, episcoporum non tantum benevolentiam, sed etiam amicitiam sibi et Congregationi conciliaret. Quanti eum sodales, tam superiores quam subditi fecerint, ex eo colligi potest, quod duodecim annos continuos Rectoris munus obtinuit et nono anno sodalium suffragiis electus est, qui provinciae Hiberniae vocalis ad capitulum generale proficeretur, ubi omnibus viribus in bonum Congregationis promovendum incubuit. Sed Roma fractis viribus revertit, neque iam umquam pristinum vigorem recuperavit. Quartum vero

Rectoris munus in se suscipere iussus officia sua usque ad finem triennii ingravescente semper morbo fidelis praestitit. Cum medicorum iudicio aëris Hiberniae asperitatem iam non posset sustinere, versus finem anni 1925 Romam concessit et in domo generalicia ad S. Alphonsum sex fere menses commoratus est. Sed neque aëris mutatio neque medicorum ars et cura morbo mederi potuerunt, quare iulio mense anni 1926 in patriam Hiberniam rediit. Romae autem in domo nostra apud sodales pietatis, patientiae atque urbanae affabilitatis optimam memoriam reliquit.

Cum in Hiberniam pervenisset, a duobus fratribus, qui ex America advenerant, et a Rectore collegii nostri Limericensis humanissime exceptus ob maximam debilitatem statim in valetudinarium deductus est. Fratres, cum a curis dioecesis et studiorum diu abesse non possent, post paucas hebdomades in Americam redierunt scientes se Dionysium fratrem iam numquam esse visuros. At P. Turner optime noverat, ubi vera consolatio inveniretur. Imaginem Matris de perpetuo succursu Roma secum adductam semper prope lectum habuit ac saepe oculos ad eam intendit. Beata autem Virgo omnium earum rerum memor, quas ad augendam Divini eius Filii gloriam fecisset, die Nativitatis suae, qua gaudium annuntiatum est universo mundo, fidelem servum ad se vocavit. R. i. p.!